

PROBLEMA XI.

57

§. III. Quicquid tamen sit, non improbari videtur posse, sed tanquam licitum admitti duellum, quod ob honorem vel salutem Patriæ suscipitur. Nam (1) Exemplis sacris comprobatur, ubi Davidi permissum cum Goliatho congregi. 1. Sam. 17. Conf. 1. Chr. 21. & 2 Sam. 23. ubi plura exempla memorantur. (2) Ratio prævalida videtur, quia tale duellum, belli compendium est, quò sine magna clade, sanguine, paucorumque periculo, bellum finitur. (3) Communis populorum consuetudo approbat, & confirmat, quia unius fortitudo sæpe universorum est victoria. Sic Romulus cum tutius cum ipso exercitu in aciem descendere posset, solus dextra sua victoriæ omen rapuit, epimaque Acronis spolia deportavit. Vid. Supra §. I. in fine, & *Valerium Max. lib. 2. c. 2. n. 3. p. 78 sq.* Ita bellum inter Romanos & Albanos certamine Curiatorum & Horatorum feliciter diremptum est, teste *Livio lib. 1. Valer. Max. l. 6. c. 3.* Plura exempla cupienti, vel unicus *Rupertus* sufficiet *Dissert. 1. ad lib. 3. Val. Max. c. 2. p. 206. 207. 208.* & in *Flori lib. 1. c. 3. §. 3. p. 87 & 88.* Et quia in hisce certaminibus fortitudinem suam Heroës probabant, non immeritò Livius de Romanis dixit lib. 2. c. 18. *Res Romana ducibus, quam exercitu, fortior fuit.* Conf. *M. Ad. Spenglerum Exercit. Eibic. §. artic. 2.* & *Berneggerum l. c.* ubi ex *Castellan. l. 2. c. 29.* monet, & si miles, permissu Ducis, cum hostili milite conditionibus æquis ob bonum publicum congregi possit: ducem tamen ab hoste ob singulare certamen provocatum, temerè se sistere non debere: ne, si occubuerit, exercitus animum despondeat. Et sanè salutare hoc esse monitum, non paucis exemplis confirmari potest, in quibus notatu dignum est ac memorabile, quod *Richterus in axiom. 218. p. m. 391. sq.* de Marchionibus Brandenburg. *Georgio & Alberto* recenset, inter quos duellum instituendum singularis casus impedivit. Conf. *Rupert. c. 1. p. 208.* ubi ob illam rationem Romuli factum improbat, motus effato Curtii lib. 9. c. 6. n. 8.

XII. An Gentilium Apotheosis excusari possit?

§. I. De Apotheosi Romuli consentiunt *Livius l. 1. c. 6. Dionys. Halicarn. l. 2. Plutarch. in Rom.* quod Julius Proculus, subornatus à Patribus renunciaverit plebi, se vidisse Regem humano habitu augustiorem, eumque mandasse, ad populum, ut sibi delubrum fieret, se Deum esse. Quid verò sit Apotheosis, & quò ritu peracta fuerit,